

lissimorum quas fert India mertium feracissima celebratissimum ob id emporium; ubi non modo varia aromata et omnigeni odores, sed auri quoque argenti, margaritarum ac præciosorum lapillorum magna copia affluit. Hanc rex maurus gubernabat ea tenus vires suas Maumetica secta protendente: coetera gentiles tenent. Huc itaque, cum istructa classe applicuisset Alphonsus, urbem oppugnare destinat, quod præsentientes, saraceni bello se multis munitionibus et armis præparaverant, sed frustra. Nam, commisso bis prælio, nostri tandem Dei auxilio superiores, plurimis ex hostibus cæsis, urbem vi intrant, occupant, data predæ libertate diripiunt, incendunt. Rex ipse, qui ex elephanto pugnabat, graviter vulneratus, cum superstibus mauris fuga sibi consuluit. In ea pugna, magnus hostium numerus exiguo nostrorum damno interiit, capti plures, magna etiam ablata spolia, in quibus et septem ipsius regis bello assueti elephantes, suis turribus sericis atque auro intextis ephippis illius provinciae more muniti, ac aeneorum omnis generis tormentorum ad duo millia summa arte fabricata. Capta sic urbe, hostibusque profligatis, quo nostræ rei tutius consuleretur, in fluminis quod medium urbem interfluit hostio, unde terra marique subacto undique suæ securitati prospiciat, munitissimam arcem murorum quindecim pedum latitudine construxit ex lapide, videlicet qui ex dirutis saracenorum, quas mesquitas vocant ædibus, excerptus est. Mirabilis profecto Divina Providentia, quod, ubi tanto tempore maumeticae perfidie cultus celebratus, ubi Redemptoris nostri nomen toties blasphematum, inde occulto Dei consilio magna sua laude ac sathanæ dedecore, quæ tanto labore ac nostrorum sanguine jandiu pro catholicæ fidei augemento affectamus, huic ædificio et christianis tam necessario operi opem acceperimus. Erant eo tempore Malachæ plures extranei ac diversarum nationum mercatores, scilicet Zamatri, Pegus, Javannes, Gores, et ab extremo Oriente atque ultima sinarum regione Chines aliquæ gentiles, qui urbem commercii gratia frequentes multis divitiis, auro, argento, margaritis et præciosis lapillis, serico etiam vellere, ac multifariis aromatibus et odoribus affatim replent.

337

Hii cum multis quoque finitimis ab Alphonso fœdus et amicitiam ultro flagitantes, ab ipso et benigne et favorabiliter sunt accepti, pactoque commertii et mercature tractatu suas negociationis domos circum arcem ubi tutius versari possent secum transtulere mutuo fœdere adeo læti; ut quamvis hactenus illud emporium omnium fuerit celeberrimum, deinceps tam si fieri poterit multo maius ac celebrius futu-

rum existimetur: quin et ipsi Chines nuncium ad nos mittunt, a quo perfectius res suas intelligemus. Atque adeo tam hi quam cæteri urbis accolæ dicto audire imperatisque legibus parere non recusarunt: ut reipublicæ regiminis iustitiaeque officiales nostro nomine Alphonsi manu acceperint, quorum iudicio et arbitrio gubernentur simul et monetam nostro ibi nomine cussam tanquam regis dominique sui agnoscentes excipiunt et expendunt auream Catholicos mille scilicet nummorum argenteorum centum valore malachenses inscripsere. Haec cum cognovisset Rex de Ansiam et gente et solo Orientem versus potentissimus, ad quem fama erat jure Malacham spectare et a mauris olim usurpatam, legato ad præfectum nostrum destinato, qui se suoque nostro manciparet obsequio, auream simul craterem cum precioso magnæque existimationis carbunculo enseque auro a fabro elaboratum insigne, videlicet recognitionis ac vera perpetuaeque futuræ amicitiae dono misit; ad quem præfectus aliquos e nostris expertos vafrisque viros intimæ regionis scrutatures cum multis etiam muneribus remisit; unde maximum Dei obsequium et Catholice fidei augmentum fore non dubitamus.

Rebus sic apud Malacham compositis et obsirato tractatus commertii fœdere, relieto in arce tormentis machinisque munitissima sexcentorum etiam virorum ac strenuorum militum seculo præsidio, et classe ad maritimæ ore tutelam viris armisque optime istructa, Alphonsus in Indiam revertens Goe urbis præcipuam arcem, quam ipse superioribus annis magno nostrorum periculo sed majore hostium strage occupaverat nostræque ditioni et imperio adiunxerat, a mauris obsessam reperit, extorta etiam iuxta alia firmissima arce, unde ..... turchorumque sex milia nostros continue infestabant; quos cum adoriretur præfectus, plurimis jam trucidatis, desperata salute, pacta tantummodo corporum incolumitate se tandem ac reliqua nostri dedidere, partisque et ibi machinarum, equorum, armorum et hujusmodi haud contempnendis spoliis, quibusdam etiam qui inter mauros reperti sunt apostatis, qui a fide nostra discederant, debito affletis supplitio, urbem pristinæ quieti restituit. Appulerat interea Dabuli urbi haud procul a Goa presbyteris Joannis potentissimi christicolarum domini ad præfectum nostrum legatus, qui, ejus nomine, ut christiani christiano omnem opem omnia ad bellum contra catholicæ fidei hostes opportuna militum exercitus armorum ac commetus præsidia ultro offerat; præsertim si mare rubrum suo conjunctum dominio nostra classis traiciat, ubi